




Satis superque solem commendat, qui, cum eius clarum ab oriente iubar cernit emergere, Ecce solem; inlclamat. Ita planè abunde Carolum Cæsarem huius nominis quintum laudat, qui eius imagine inspecta, eam Caroli esse dicit, et si autem laus amplificatio uirtutis est, quæ in aliquo inest; Veruntamen ut benefici syderis præconia in recensendis potius, q̃ in ampliandis utilitatibus orbi collatis posita sunt; ita diuini huius Imperatoris uirtutes, licet amplissimæ sunt, a numero (modo numero comprehendi possint) amplitudinem suam consequuntur. Fulget in primis aureus solis orbis sua luce contentus: fulget Carolus et domestico splendore, et proprio uirtutum nitore. Pellit sol statim exoriens tenebras omnes: Fugat Carolus omnem uiciorum caliginem uita, exemplo, iustitia. Percurrit sol quæ citatissimo cursu orbem uniuersum, et mortalia omnia collustrat: Carolo ad extremas mundi partes, et priscis incognitas facilis aditus patet. Aurum ille inter diuitias optimum in terræ uisceribus generat: Fidem, et religionem eius comitem, ac eloquia Dei omni lapide precioso, atque auro ipso magis desideranda in cordibus efferrarum gentium disseminat: Sol Dixit, et gubernator est syderum cunctorum, et omnium rerum caducarum salus, lætitia, uoluptas: Cæsar Principum specimen, populorum requies, afflictorum solatium, mundi delitæ. Dicat ipse coeli oculus, qui omnia uidet, (nullus enim mortalium id potest) dicat inquam, quæ, et quot reliquerit Carolus in orbe uirtutum suarum monumenta: Recenseat Affricanas uiperas, ac serpentes domitas: Narret rebelles, et superbos Germaniæ fluuijs demersos: Celebret uictorias de scythis, et immanibus Christianæ fidei hostibus relatas. Attestentur hæc Isler, et auri ferax Ungaria. Commemoret Italia olim rerum domina, cum Gallia non audeat, maxime Caroli memorabiles triumphos. Quot capita ueneficæ Hydræ infernum uirus euomentis præcidit? Quot semina, Quot germina religionis, pietatis; Quot liberalitatis, et munificentie exempla; quot iustitiæ documenta reliquit? Acquisiuit regna; Debellaui Reges. Donauit Regna; Restituit Reges. Dicat ipse Sol iustitiæ qui illi suum lumen semper prætulit, quæ premia, quas coronas, quos triumphos illi dederit; qui post orbem, quem uicerat, spreto, et se ipsum illustriori uictoria superatum, se totum Deo addixerit.

Obyit anno chr. MDLVIII ætatis suæ LVIII. Philippo unico filio regnorum hærede, Maria Maximiliani Ungariæ, et Boemiæ regis nunc Imperatoris, et Ioanna Regis Lusitanicæ uxoribus, supersubstibus, ex Isabella Lusitanicæ Regis filia natis.